

cur non in omnibus eundem belligerandi ardorem studiūmque excitat, ut omnes libentissimi, nemo inuitus ad dimicacionem descendat, biliosus præsertim & sunt, fateor, alij, quos non patriæ defensio, non publica salus, non aræ, non foci, sed auraritia, odium, iniuriæ, ambitio & insana falsæ gloriæ cupiditas, insatiabilis quædam habendi, & regnandi libido ad omnem audaciam impellit. Sed ne hi quidem sine magno consilio rem tantam aggredi, & gerere solent. neque uero cum rei bene gerendæ locus est, diutius sibi cunctandum & nouam è cœlo cometæ alicuius expectandam lucem ducunt. Nemo unquam bellum sine armis & copijs, raro sine pecunia, quænerius belli uocatur, gerere potuit. Num arma etiam & diuitias Cometes cum animo bellicosò cōfert? Iam si alterutrius exercitus tam rationem ducit, ut ibi necessaria omnia ad rem ex sententia conficiendam suppeditet: cur tamen alteri parti iniquus est, ut eam & copijs, & uiribus, & opibus, atq[ue] adeo saepe etiam fortibus ammis atq[ue] audacia, uictoria deniq[ue] ipsa spoliet? An etiam perturbationibus Cometam distrahi censendum est, ut hos amore, illos odio sibi habendos, ob aliquam latenter causam, ducat & his fortitudinem & audaciam addat: illis ignauiam, torporem, timiditatem iniiciat: hos bile ardentes, bellicosos:illos phlegmate tardos, inertes, imbelles efficiat: O singularē Cometæ iniquitatē. Verū nō lubet pueriles has nugas pluribus refutare. Hoc satis sit ostendisse, multa requiri ad gerenda bella, quorum in cometen causa, ut & bellī ipsius, nisi à parum intelligentibus conferri non potest. Addo illud quoq[ue], quod est à uiris doctis firmiss. rationibus demonstratum: corpora nostra non à cometarum solum crinibus, aut barba, aut cauda, sed ne ab ipso quidem cœlo, quod tamen inferiora cuncta complexu suo continet, aliter affici, quam insita cuiusq[ue] natura patiatur, illud quippe cū uniuersalis quedam et indeterminata causa sit, particularem eumq[ue] definitum effectum, non nisi ex accidenti producere ualeat.

In